DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN PVBLICIS MEDICORVM SCHOLIS CELEBERRIMÆ CADOMENSIS ACADEMIAE,

PRO SECVNDA APOLLINARI LAVREA. 33.

SAPIENTISSIMO M. N. IOANNE LYOVLD DE MONLIEN PROFESSORE ORDINARIO, MODERATORE.

An ſuffocationi ab vtero aqua borboniæ?

VTERVS pars eſt organica & diſſimilis naturæ, venis pluribus, arterijs, nervis que intertexta: vas eſt cui affecto totum corpus facillimè compatitur, eſtque fundus ex quo innumeræ calamitates ſexcentique affectus tanquam ex equo trojano in mulierum perniciem erumpunt. Inter hos vnus exiſtit terroris plenus, πνῖξ ὑστερική à ſymptomate graviore & frequentiore dictus: ſæpius enim ſtrangulationem efficit, & aliquando impeditis reſpirandi inſtrumentis ægrotantem perimit. Hoc ſymptoma mulieribus proprium, ſuſcitat non cruda ventris repletio, non pulmonum à ſanguine ſeroſo aut etiam flatulento intumeſcentia, non vteri ſurſum aſcendentis indignabunda commotio: ſed ſolus vapor tetráque & venenata mephitis ſurſum elata, quæ pro vario malignitatis gradu, variâque partium quas inficit naturâ, modò ſuffocationem, modò alia & horrenda ſymptomatum genera producit. Sedes & minera humorum, ſeminis nempe, menſtrui, aut alterius cujuſlibet ſucci pravas illas & malignas ἀναθυμιάσεις expirantium varia eſſe poteſt; modo enim effumant ex vaſis vteri, aliàs ex ejus tubâ, non nunquam è teſticulis, ſæpe etiam ex ipſo vtero è quo vt vita, ſic ſumma non rarò veneni pernicies exoritur.

HYSTERICI inſultus ſæpè ſunt ſubitanei, quandóque verò prænuntijs quibuſdam caſibus ſignificantur: ſæpè ructus & oſcitationes præcedunt, cibi faſtidia, aſpectus triſtes, faciei pallor, ſpontaneæ laſſitudines, vagique & fugaces capitis, frontis maximè, temporum, artuúmque dolores: neque deeſt globi cujuſdam ad hypochondria quaſi aſcendentis motus; interdum miræ quædam ex imis viſceribus obortæ voces obaudiuntur, quæ modò ranarum coaxatus, nunc latratus canum, aliàs ſerpentum ſibilos, crocitus corvorum, Gallorumque cucurritus referunt; ſicque dæmoniacum quiddam vulgus ſubeſſe putat, eaſque pro ἐγγαστρομύθοις habet, & pythonem in ventre habentibus, quæ tamen vterino affectu & hyſterico laceſſuntur. Dum præſens adeſt paroxyſmus, graviſſima etiam ſe ſe detegunt ſymptomata, non ſemper tamen eadem. Cordis palpitationes increſcunt, animi defectiones accedunt, ἄπνοιαι & ἀσφυξίαι, brachiorum & crurum motus convulſivi, diſtortiones lumborum capitiſque tam ſtupendæ, vt ſæpè inexpertis ſuſpicionem numinis præbere videantur: totum denique corpus tanto frigore aliquando congelatur, vt per dies aliquot non rarò inter mortuas numerentur. Hujus affectus furorem irritant ſuaveolentia naribus appoſita, præſertim verò moſchus & zibetum, vehemens paſſionum commotio, triſtitiæ, amoris, & iræ: violentior & ſubitus hypocauſti caloriſque æſtivi fervor, & tandem frigiditas externa, quæ termini exterioris meatus immoderatiùs occludens, vapores morboſos ſupprimit, latentiſque intùs veneni perniciem exſuſcitat.

CAVE autem ne te decipiat verſipellis affectus, hic enim protheus quidam & πολύμορφος varijs ſe ſe tegit ſpeciebus, ſæpéque ſub aliorum affectuum formis apparens medicum deludit: ſimilia itaque & diſſimilia perſpice, oleum alioquin in ejus curatione & operam perditurus. Virgines viro maturas & in venerem proclives torquet hocce dæmonij genus, & eas præſertim quæ concepti ſemel amoris igniculos diutius celant, ſteriles, viduas marito præcipuè ſalaci, vetulas, nuptas ſed maritis imbellibus & parum mulieroſis, prægnantes & puerperas. Iuvenes definit cum parere incipiunt, ſeniores nullatenus ſi diu laboraverint: magnum intentat prægnantibus & puerperis vitæ periculum; ſtatis nonnunquam affligit periodis, certo circuitu nunc annuo, modo menſtruo, ſeptimanâ qualibet, quandoque vero ſingulis diebus rediens: ſæpè etiam vagum eſt & oberrans, proüt ab externis aut agitari aut commoveri poteſt, crebriuſque aut rarius invadens, modò longiore modo breuiore paroxyſmo furit in miſellas & immaniter debacchatur. Vt autem ſemen, menſtruum, alijque ſucci naturâ differunt, ita etiam labe & vitio: vnde ex ſemine ſi corrumpatur, graviſſima ſymptomata ſuperveniunt; ex ſanguine verò alijſque humoribus leviora & minus terrifica.

STRANGVLATVM ab vtero curantem duo tempora ſpectare decet, vnum motûs & paroxyſmi, alterum vero quietis ſive intervalli. Præſente inſultu recta teneatur ægrotans vt facilius ſpiret, ventris & pectoris laquei confeſtim ſolvantur, convellantur pili, crura cum dolore vinciantur, eadem pannis calidioribus & aſperis confricentur: multùm proderunt cucurbitulæ modo ſimplices modo cruentæ non vmbilico, ſed imo ventri, inguinibus, aut etiam femoribus internis appoſitæ: juvant graveolentia naribus adhibita, vt ſuaveolentia pudendis. Vide tamen ne quidquam temerè peragas, cum etenim momenta curationis ex corporum varietate petantur: in gravidis aliam ſequere medendi rationem, aliam in vacuis, aliam in virginibus, aliam denique in maritatis. Cave igitur in gravidis ab odore fœdo, in virginibus à priapiſcotis; peſſuli tamen magna poteſtas, ſed in nuptis, in quibus magna ejus vtilitas, ſi præſertim (procul hinc eſte aures impudicæ) lacertoſus fortiſque maritus eumdem oſtiolo obdiderit. Neque omittantur diaclyſmata etiam acriora, aquæ theriacales in vſum ducantur ſimplicibus vapores ac flatus diſcutientibus medicatæ. Si verò viſcerum quædam phlogoſis humorumque acrimonia aliud tibi agendum eſſe inſinuaverit, magnæ erit vtilitatis vitrioli aciditas quæ vapores figat, vaſorum fibras conſtringat, viſcerumque ſubſtantiæ robur & tonum conſervet; hæc irrita ſi fuerint, ad venæ ſectionem confuge, non in brachijs, ſed in pedibus inſtitutam, ſic etenim ſanguinem ſuppreſſum vacuabis, aſcendentem revelles, motuque pulmonibus & cordi liberiori reddito, ægrotantem à laqueo liberabis.

VBI fœmina paroxyſmum effugerit, noli eſſe in tuto aut nimiùm quam par ſit confidere: affectus enim initæ pacis & feriarum quaſi pertæſus, brevî fortè recrudeſcet. Statim ergo cauſis ejuſdem expellendis ſummâ diligentiâ oportet incumbere. Si venus intermiſſa corruptique ſeminis illuvies ſymptomatum hyſtericorum cauſa fuerit, nubat ægra ſi nihil prohibuerit: vna enim venus, licita nempe, tantorum tumultuum vindex & vltrix exiſtit. Si vero vitæ conditio à fundi vxorij cultu interdicat, ſeminis generationem prohibe inediâ & frequenti phlebotomiâ: ſin minus ijs vtere quæ vel calore & ſiccitate, vel totius ſubſtantiæ proprietate genitum ſemen extinguant. Cæterùm ſi menſes ſubſiſtant, indeque prima mali labes exoriatur, malleolorum poplitumque ſectiones apertâ venâ factæ maximè juvabunt, crurum tamen & tibiarum fotu præmiſſo: ſic enim fuſus ſanguis & attenuatus, amne magis libero alveoque patentiori foràs effundetur: hæ tamen in gravidis fugiendæ abortûs metu; interim cacochymiam tolle purgantibus proprijs, ſæpeque repetitis: vtere quoque ſemicupijs, ſpecificis nullatenus parcens quibus prava malignaque tum vtero, tum vitæ principijs, atque etiam humoribus impreſſa qualitas oppugnari poſſit & expugnari. Quod ſi rebellis affectus & contumax præſcriptis remedijs non ceſſerit, quidnì confugiemus ad aquas borbonias, cum ſit mirabilis in aquis dominus, neque majora vllibì quàm in aquis cernantur naturæ miracula: illæ ſiquidem liberali & pleno calice exhauſtæ obſtructas viſcerum vterique venas potenter aperient, vrinas ducent, alvum laxabunt, omnemque planè vteri meſenteriique colluviem ac ſpurcitiem eluent; quidnì etiam ſpiritu nitri quo multùm imprægnatæ atque turgentes æſtuant, tetros vteri ſpiritus latente quadam & occultâ diaphoreſi, aut manifeſtâ evacuatione ſudoribus promotis diſcutient. An vero vim habeant ſpecificam, eamque hyſtericæ diſpoſitioni contrariam, viderint qui harum aquarum vſu fœminas laborantes perfectè curari quotidianis experientijs agnouerunt.

Ergo *ſuffocationi ab vtero aqua borboniæ.*



Proponebat Cadomi in Scholis Medicorum ANTONIVS DE VILLENEVFVE *Strepagnacæus, Die 8ª Nouembris, ann.* R. S. H. M. DC. LXIV. *ab octauâ ad meridiem.*

CADOMI, Apud MARINVM YVON, Typographum Regium.